

**Quaestio medica ... Utrum in corpore humano fluidarum duntaxat partium deperditio & reparatio / [Paul Le Roy].**

**Contributors**

Le Roy, Paul.  
Morand, Jean-François-Clément, 1726-1784.  
Université de Paris.

**Publication/Creation**

[Parisiis] : [Quillau], [1751]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/twcab2r3>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.





DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI - PARÆ, ET S. LUCÆ

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS  
manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis septimâ  
mensis Januarii, anno Domini M. DCC. LI.

M. JOANNE-FRANCISCO-CLEMENTE MORAND,

Societatis Regiæ Lugdunensis Socio, Doctore

Medico, Præsîde.

*Utrum in corpore humano fluidarum duntaxat partium deperditio & reparatio.*

I.



ITA hominis sanguinis motus, quo vigente viget illa, cessante; perit. Congruum, solida inter & fluida, reposcit æquilibrium, quod ut stet, à liquidis moveri, & vinci solida, & à solidis alternâ vice, moveri debent, & vinci liquida. Ab impellentibus fluidis dilatantur vasa, dilatata se se restitunt, liquida premunt, urgent, impellunt; undè perennis liquidorum in corpore motus, ipsorum attenuatio, subactio, elaboratio jugis, in singulas partes distributio, continua partium actio, indefinens humorum secretio, excretio. Hoc perenni motu agitata, continuato attritu imminuta, ad exhalantia vasa appellant,

A



(a) Boerha. Inst. Med. de nutrit.

brevique è corpore evanescunt fluida, solidæ collabuntur partes, in sese concidunt, suis obeundis muniis impares evadunt, pereunt functiones, (a) Hinc ex conditione suâ vivum corpus cito destruitur; hinc necessitas alimentorum, quæ novos indefinenter suppeditent succos, quibus, tot & tanta resarciuntur damna, quibus benefico veluti rore, restaurentur, atque recreentur partes. Exigit ergo corporis natura, ad functionum integritatem & vitæ constantiam, (b) Ut tantum & tale in humoribus perpetuò restituatur, quantum & quale per motus illos solidorum & fluidorum alternos deperditum fuit. Hoc opus præstat nutritio, quæ definiri debet ea corporis humani functio, quâ deperditæ reparantur, atque restituuntur fluidorum particulæ.

(b) Ibid.

I I.

**N**ON una, eademque semper fuit Physiologorum vox, de nutritione; in eo consentiunt quàm plurimi quòd fluida, simul & solida, indefinente motu attrita & abrafa reparentur; existimant verò ferè nulli fluida sola dissipata restitui. Quantum erraverint priores mox patebit attendenti. Sanguis, cæterique humores, repetito multoties attritu comminuti, particulas mobiliores elabi sinunt; tenuiores moleculæ, ad certum volatilitatis gradum redactæ, innumeros solidorum porulos, quasi agmine factò trajiciunt, & modò insensibilis perspirationis, modò sudoris beneficio, in auras avolant; aliæ hancce viam quasi respuentes, varia subeunt organa, ut (ex provido quodam naturæ consilio) è corpore eliminentur; hinc sanguinis massa, sensim imminuitur, deplentur vasa, ad sese invicem tendunt illorum parietes, flaccescunt aliquantulum, & quasi marcescunt viscera, corrugantur membranæ, laxiores fibræ carneæ tonum amittunt; interim sanguis vehiculo orbatus, viscidior & spissior evadit, retardatur ejus circuitus, languescit, brevique cessat & sufflaminatur, nisi particulæ chylaceæ cruori immixtæ, repetitis circuitibus, & multiplici elaboratione immutatæ, sibi invicem adunatæ, complicata jam & collapsa distendant vasa, pristinum ipsis restituant elaterem, quo solita exequantur munia: sic exhauritur & restauratur sanguinis moles; sic fluidarum particularum fit deperditio, reparatio, quod de solidis nullo modo potest concipi, ut pote quæ nullam patiantur substantiæ suæ deperditionem, nec alterationem, proindèque nullâ indigeant refectioe, nec reparatione.

I I I.

(a) Boerha. Inst. Med. de nutrit.

**O**MNIS (a) pars solida nostri corporis constituitur ex aliis minoribus, majori quàm maximè similibus, vasis nempè & vasculis, adedò ut totum corpus sit quasi vasculare, & nulla ferè occurrat ratio, solidorum inter & fluidorum molem. Hisce ultimis in vasculis fieri nutritionem volunt. Humor inquirunt, si rectà pellatur per canalem plenum elasticum nisu vel minimo assiduè repetito, sensim & insensibiliter hæc duo fient; (b) nempè ultima particula tenuissimarum fistularum avulsa, quasi in speciem humoris abripiuntur, in quâcumque corporis parte hæserint: deindè verò particula minima, qua fibrillas exilissimas adunatione suâ componunt, ita separabuntur à se mutuò, ut vacua interstitia relinquunt in iis locis, ubi antè cohærebant; fiet autem & hoc ubique, quandiu vivitur. Interim idem ipse humor, qui has nititur clades, adfert particulas avulsis omninò similes, (c) apponit, applicat ad illa ipsa interstitia, ipso illo impetu, quo particulas canalis avulsit, dein interceptas his meatibus, fingit, figurat, affigit, ita ut similiter adhærescant ac priores; enimverò materies, præparatio, applicatio, vis motus semper manent eadem. Hancce opinionem, quantumque veri speciem præ se ferat, pauca facilè evertent rationum momenta. 1º. Quidem ut aliquid de solidis deteratur, necessariò requiritur, ut vasorum parietes assiduo & violenter exercitato concutiantur motu, quod accidere nequit, nullus est ferè liquidi motus his in vasculis, ob summam illorum à corde distantiam, alioquin, cum debilissimâ donentur fabricâ, certum disruptionis periculum incurrerent. 2º. Si fierent in fibris hujuscemodi meatus, vasa infinitis in punctis pervia, ob deperditam substantiam imbecillia admodum facta humoribus coercendis imparia eva-

(b) Ibid.

(c) Ibid.



derent, hinc fluida undequaque diffuentia & devia, in omnes corporis partes irrumperent, œconomiam disturbarent, moxque everterent. 3°. Vasorum fibræ, cum sint valdè flexiles, liquoris actioni ita facilè cedunt, ut vim ferè nullam ab ipso patiantur; certum est enim ex Physicis, eâ ratione exerceri vim corporis in aliud impingentis, quâ ratione resistit, aut cedit corpus in quod impingitur, aded ut vis prioris nulla sit, si alterum omninò cedat; quod certè de fibris nostris merito potest prædicari. 4°. Demùm interior vasorum tunica, aded lævis & lubrica deprehenditur, ut nullum præter fluenti liquido obijciat obicem, transitum è contrà expediat facillimum; hinc in unam, nec potiùs, nec validiùs impinget, quàm in alteram, hinc illam præ aliâ, non extirpabit moleculam; aliundè ex hydraulicis liquor in tubo contentus, æquabili vi in omne superficiei punctum impingit, ergò faciliùs debet vas totum disrumpi, quàm ut eradicetur pars vel minima ipsius superficiei.

## I V.

**N**ON assentiris forsitàn? Superfunt plura, quibus te ulteriùs evincamus argumenta. Supponatur itaque hæc de quâ contendimus partium solidarum destructio; quis erit reparationis modus? Quod instrumentum? Eadem, inquis, ac destructionis; illud repugnare nemo sanè non videt: quis enim concipiat, unam eandemque causam, unâ & eâdem operâ, diversos planè & oppositos producere posse effectus, nunc destruere, nunc simul reparare? Si vis motus maneat semper eadem, semper fiet destructio, nunquam reparatio. Ast, inquis, materies, præparatio, applicatio, semper manent eadem. Esto; quorsùm autem illud naturæ impensum, illud conamen? Fibrarum porulos vix salutarit particula reparationi dicata, cum jam jam abripietur. Minus enim impetui liquoris resistet, quàm pars solida, quæ tamen potuit everti; proindè semper habunt poruli, proindè nulla unquam reparatio. Nec dicas particulam illam exiguo liquorum calore, ex naturâ suâ mox indurescere, solidescere, quies enim præcipua absolutèque necessaria operis illius conditio, prorsus deficit, cum omnes corporis nostri liquores, perpetuo, & indefinente rapiantur flumine. Dubitas adhuc? Oculos conjice in maculas illas, naturæ vel artis opus, nunc faciem, nunc cœteras corporis partes, his & in illis hominibus plerumque deturpantes; per totum longioris vitæ circulum, nihil de figurâ, nihil de colore suo amittunt, quæ certè, ut potè solidis insculptæ, aliquando evanescerent omnino, vel saltem aliquam paterentur alterationem, aut immutationem. Fallor, aut allata mox rationum momenta, nullam fieri posse partium solidarum destructionem, nec reparationem, invictè probant.

## V.

**E**T verò sapienter à naturâ fuit provisum, ut omnia, quibus tota ferè compingitur artificiosa corporis humani moles, non mediocri flexilitate, gauderent vascula; quod quidem ita nisi contigisset, dum liquidis motum imprimunt, vel ab ipsis trajiciuntur, non levem certè paterentur attritum, qui vitam brevè secum abriperet. Vix nasceretur homo, cum jam moretetur; vetat enim perennis liquidorum motus, quominùs alterata semel vasorum substantia reparetur, atque reficiatur. Hinc patet quàm facilè corruat adversariorum sententia. Verùm dicent, suam non ided rejiciendam esse opinionem, quòd impossibile quid redoleat, imò mirandam potiùs, (a) ineffabilem supremi conditoris sapientiam, quòd eadem causa quæ destruit inevitabiliter, simul etiam destructum reficiat eâdem operâ. Immensam supremi numinis providentiam nullus est qui recuset, ipsis etiam in rebus, quæ captum humanum exsuperant; cum autem nihil unquam operetur quod legibus à semet ipso positis repugnet, & aliundè illa solidorum deperditio & reparatio nullo modo sit necessaria, neutram in homine fieri, nemo sanè diffitebitur. Objiciunt tamen, corpora dum invicem moventur, aliquem necessariò pati attritum, proin-

(a) Boethi:  
Inst. Med. de  
nutrit.



4

dèque substantiæ deperditionem. Ex his quæ modò inuimus facilis sequitur illius objectionis solutio; posito enim quòd vascula nostra flexibilia sint, impellenti liquido facillimè, & sine ullo substantiæ suæ detrimento cedunt, adèd ut vim effugiant arietantis liquidi, quod iners per canalium longitudinem, benignumque profluit; quod jam probavimus, illud majora testantur vasa, arteriæ præsertim, in quibus ingens, & vehementissimus est sanguinis motus, nullum certè patiuntur attritum, nullam substantiæ deperditionem, in illis siquidem, fieri nutritionem non contendunt. Instant: omnia deteruntur naturæ corpora, tractata comminuitur solidissima metallorum moles, saxa etiam durissima molli excavantur aquâ, à fortiori igitur, tenerrima, quotquot sunt in corpore humano, læditur solidorum moles. Hæc ità contingere in universâ rerum naturâ neminem vel minimè Physicum latet, modò corpora immediato sese tangant contactu; si verò medium quid interponatur, omnis tunc impeditur attritus. Hâc ipsâ ratione intactæ remanent extremitates ossium, eæ quibus obvestiuntur, non alterantur cartilaginee, licèt membra frequentissimis, violentissimisque exercitentur motibus, licèt vehementer invicem affricentur, nec alterutrum cedat, tenaci enim indefinenter lubricantur *synoviâ*, quâ mediante ab attritu mutuo deffenduntur: porro si tali humore internos vasorum parietes illini, constet apud omnes, & autopsiâ demonstratur Anatomicâ, illos non posse alterari jam abundè comprobatur. Non levioris, credo, momenti plurimæ corporis humani partes, muscoli nempe, subministrant argumentum, (a) licèt enim *succus nervorum* validè agat in musculum, tamen non lædit fistulam *nervæam*, ut ex *hydraulicis*; ergo à fortiori, cum sanguis lentissimo admodum gressu minima percurrat vasa, illorum lædere non potest parietes: cor ipsum, ab irruente sanguine dilatatum, immensâ vi sanguinem propellens obluctantem, non læditur. Nec dicant quidam cum *Sanctorio* putrefactionis periculum solidis imminere, si particulæ ex quibus constituuntur, non exhalarent, non repararentur, si continuò non renovarentur: quandiu enim vivit homo, quandiu partes alluuntur à fluidis, nullus est putrefactionis metus; putrescunt solida si motus omnis, si vita cessaverit. Quid plura? Nonne patet conclusio?

(a) Boerah.  
Inst. Med. de  
muscul. act.  
pag. 217.

*Ergo in corpore humano fluidarum duntaxat partium deperditio & reparatio.*

### DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

- |  |   |  |
|--|---|--|
| <p><i>M. Jacobus Verdelhan des Moles, Scholarum Professor.</i></p> | <p><i>M. Carolus-Ludovicus Liger.</i></p>   | <p><i>M. Joannes-Claudius-Adrianus Helvetius, Regi à Sanctioribus Consiliis, Regina Medicus Primarius &amp; Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.</i></p>   |
| <p><i>M. Claudius Person.</i></p>                                  | <p><i>M. Joannes-Stephanus Guettard, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius, Censor Regius &amp; Serenissimi Aurelianensium Ducis Botanicus.</i></p> | <p><i>M. Jacobus-Benignus Winslow, Censor Regius, Regiæ Scientiarum Academiæ Regiæque Societatis Londinensis Socius, Teutonice Linguae Regius Interpres &amp; in Horto Regio Anatomies ac Chirurgia Professor.</i></p> |
| <p><i>M. Ludovicus-Renatus Desbois.</i></p>                        | <p><i>M. Natalis-Maria de Gevigland.</i></p>  | <p><i>M. Antonius Pepin, Regis Consiliarius, &amp; in Portu Brestensi Medicus primarius.</i></p>   |

Proponebat Parisiis, PAULUS LE ROY, Aurelianus, Saluberrimæ  
Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1751,

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1751.